

Quarto. Si se non intrusit in casu, quo beneficium Sedi apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris est reservatum.

Quinto. Si illud non tantum pacifice, sed etiam bona fide possederit.

24. *Papa per regulam derogavit juri communi.* — Ratio præcipua conclusionis est, quod licet vi juris communis beneficium ecclesiasticum sine canonica institutione licite nec obtineri, nec retineri valeat per hæcenus dicta, tamen Papa sicut in aliis, sic etiam in materia beneficiorum jus commune de plenitudine potestatis immutare, corrigere, vel in toto dispensare valeat, textu claro c. 2, de Præv. in 6, cum concord. n. 10, allegatis, idque per citatam regulam cancellariæ expresse fecisse, et quemlibet papam de novo facere posse, quando de novo regulas cancellariæ edit, manifestum appareat.

25. *De jure id possumus quod licite possumus.* *Uterior ratio pro utroque foro.* — Conclusioni nostræ obstare non videtur, quod dicunt contrariæ opinionis auctores, videlicet rationem, finem et intentionem condendi hanc regulam præcise fuisse, tollere et vitare lites in foro externo, consequenter in foro interno eam non procedere. Nam contra est, tum quia si Papa indefinite aliquid statuit, approbat, retineri posse asserit, ordinarie pro utroque foro intelligendum venit, nisi aliter exprimat, uti ex innumeris juris exemplis, ipsisque aliis regulis cancellariæ apostolicæ patet; nam ordinarie loquendo « id de jure possumus, quod licite possumus, » uti bene observat Glossa in hanc regulam v. *Licite*, arg. l. *Nepos Proculo*, 125, ff. de *Verb. signif.* et ibi Alciatus Barb. de *Dictionibus*, dict. 268, n. 7, consequenter quia Papa vi regulæ cancellariæ dicit, beneficium triennio pacifice possessum, « retineri posse » de utroque foro, sicque etiam de licita retentione intelligendus est; tum quia alias dicta regula foret scandalosa, utpote occasionem continui peccati præbens, et periculum interitus animæ inducens, hoc in so quod expresse dicat, pacificum possessorem triennalem beneficium retinere posse, aliosque illum super eo molestare non valere: et tamen retinentem retinendo semper continuo graviter peccare implicite asserat, sicque illum ad jugiter peccandum inducat, eo fere modo, quo leges civiles præscriptionem longissimi temporis etiam cum mala fide admittentes tanquam peccati occasionem præbentis a sacris Canonibus merito reprobata

existunt, conformiter toti tit. constit. et e. fin. de *Præscript.* ibi: « Cum sit generaliter omni constitutioni derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. » Tum quia sæpe dicta regula in favorem triennialiter possidentium inducta, possidenti plus noceret, quam faveret, eique non tam utilis, quam perniciosa foret, dum, etsi illum in foro externo a litibus immunem redderet, in conscientia illaqueatum, et continuo peccato mortali gravatum, sicque in summo periculo æterni interitus incomparabiliter majori cum damno quam commodo constitutum relinqueret: *quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat?* Math. XVI, 26.

26. *Respondetur ad argumenta contraria.* — Et per hoc patet etiam responsio ad jura in contrarium allata n. 14 et 15, quia videlicet eisdem derogatum censetur per regulam cancellariæ. Ad sequelam n. 16, positam respondetur, eam minime sequi; quia non obstante, quod quis beneficium vi possessionis triennalis habeat, potest ab illo Ordinarius petere titulum, et videre, an illum saltem coloratum habeat, utpote quem ipsa regula requirit.

27. *Præter alias conditiones requiritur bona fides.* — Cæterum quod necessariae sint quinque conditiones a n. 23, positæ, ratio est; quia quatuor primas ipsa etiam regula cancellariæ expresse requirit, uti legenti patet. Quinta autem ideo necessaria est, quia sine illa nulla nec triennalis datur præscriptio c. 2, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. » Hinc licet regula cancellariæ de bona fide expressam memoriam non faciat, eam tamen implicite requirit; cum alias iterum ansam præberet peccandi, quod omnis generis malitiosi homines sub spe acquirendi triennalem possessionem, et ea mediante obtinendi stabile beneficium, variis dolis et malitiis satagerent obtinere beneficium, utpote certi et securi, quod quantumvis inique et mala fide illud acquirant, post triennium tamen valide et licite illud retinere valeant.

28. *De aliis requisitis. Remissive.* — Porro quandonam in obtinendo beneficio Simonia committatur, plene declaratum habetur lib. V, tit. III, de *Simonia*. Quandonam autem habeatur titulus saltem coloratus, ex lib. III, tit. V, de *Præb. et dignit.* videre est: ex quo lib. et tit. § 15, etiam habes, quando dicatur beneficium reservatum Sedi aposto-

licæ. Quando vero quis dicatur intrusus, fuse explicatum est cit. lib. III, tit. V, § 17, post regulas cancellariæ. Quando autem quis censetur habere bonam fidem patebit ex regula statim sequente, dum interea controversiam circa regulam cancellariæ apostolicæ de *Trienniali* compendiose et substantialiter ita concludimus: « Quicumque beneficium ecclesiasticum cum titulo saltem colorato bona fide per integrum triennium pacifice possidet, valide et licite in foro utroque illud retinere, et a nemine amplius molestari potest, dummodo simoniace non obtinuerit, et casu quo beneficium ex reservatione generali in corpore juris clausa Sedi apostolicæ reservatum est, in illud intrusus non sit. »

## REGULA II.

## POSSESSOR MALÆ FIDEI ULLO TEMPORE NON PRÆSCRIBIT.

1. *Quid sit bona fides?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Supposita ex lib. II, tit. XXVI, notitia præscriptionis ante responsionem, notandum, quod per bonam fidem pro acquirenda præscriptione requisitam nil aliud intelligatur, quam proba existimatio sive credulitas, qua quis prudenter credit vel judicat, rem, quam possidet, et de cujus præscriptione quæritur, esse suam. arg. can. *Si virgo*, 5, cau. 34, q. 1. Dicitur autem notanter *prudenter*, seu rationabiliter; nam qui ex crassa vel affectata ignorantia id judicat, bonam fidem habere censendus non est, quia male, seu inique ignorat rem non esse suam, sed alienam, juxta illud Psal. XXXV, 4. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

2. *Quid mala?* — Mala fides e contra ad propositum in ordine ad præscriptionem est certa scientia seu cognitio, qua quis scit, vel prudens existimatio aut credulitas, qua prudenter seu rationabiliter credit vel judicat, rem, quam possidet, et præscribere vult, non esse suam, sed alienam. arg. c. fin. de *Præscript.* Hoc notato.

3. *Qui possidet rem, quam scit vel judicat esse alienam, eam nullo tempore præscribere potest.* — Resp. I. Regula II, id dicere vult, quod possessor malæ fidei, hoc est, ille, qui possidet rem aliquam, quam scit, vel prudenter credit aut existimat, esse alienam, eam nullo, etiam longissimo et immemoriali tempore præscribere possit. Ratio datur cap.

fin. de *Præscript.* ibi: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis. »

4. *Etsi id non ab initio, sed intermedio, præscriptionis tempore cognoscat.* — Procedit regula etiam casu, quo quis possessionem bona fide incepit quidem, prudenter credens vel judicans rem esse suam, postea vero tempore intermedio ad præscribendum per jura requisito rescit, vel prudenter credit aut judicat rem esse alienam: textu claro cit. c. fin. de *Præscript.* ibi: « Oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. »

5. *Post completum præscriptionis tempus rescitens rem esse alienam, non tenetur eam restituere.* — Secus foret, si post jam completum bona fide tempus requisitum supervenit notitia, rem fuisse alienam; quia quamvis fuerit aliena, tamen vi præscriptionis legitimæ postea facta est propria possessoris, ita ut eam non ut alienam mala fide, sed ut suam bona fide possideat, consequenter eam restituere non amplius teneatur, sed ut suam in utroque foro valide et licite retinere queat: prout cum glossa communiter recepta in c. fin. de *Præscript.* et c. *Vigilanti*, 5, eod. † *Noverit*, amplius diximus et probavimus lib. II, tit. XXVI, de *Præscript.* a n. 21.

6. *Qui ab initio dubitat, an res sit aliena, non potest eam præscribere.* — Pariter procedit regula in casu, quo quis statim ab initio, dum rem possidere incipit, dubitat an res sua, vel aliena sit; quia talis bona fide ad præscriptionem semper necessaria caret c. fin. de *Præscript.*

7. *Bene vero si dubium intermedio præscriptionis tempore primum superveniat.* — Non tamen procedit in casu, quo post possessionem bona fide jam cœptam dubium supervenit; quia licet in hoc casu indagare teneatur de veritate, nihilominus donec de ea verisimiliter et prudenter constet, possessionem et præscriptionem continuare potest, quia « in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis, » juxta reg. 65, de *Reg. jur.* in 6, vi cujus regulæ rem hujusmodi quasi suam, consequenter bona fide possidere potest, donec intra tempus præscriptum appareat aliena, ut amplius de hujusmodi lib. II, tit. XXVI, de *Præscript.* n. 30.

8. *Num requiratur non tantum theologia,*

sed etiam juridica fides bona. — Nam autem ad præscriptionem non tantum fides bona theologica, sed etiam juridica requiratur, sicque non tantum ignorantia facti, sed et juris excuset a mala fide, sufficienter explanatum habetur lib. II, tit. XXVI, a n. 67, ubi vide, ne superflua fiat repetitio. Cæterum ex hætenus dictis.

9. *Verus sensus regulæ quis sit?* — Resp. II. Verus et genuinus sensus regulæ secundæ, et quidem in ordine ad malam fidem sequens est: « Possessor malæ fidei, saltem theologice, id est, ille, qui possidet rem aliquam, quam ab initio, vel intermedio tempore ad præscriptionem per jura requisito scit, vel prudenter credit aut judicat, vel ab initio possessionis dubitat, esse alienam, eam nullo etiam immemoriali tempore præscribere potest. » Vel loquendo de bona fide requisita, sequens: « Nemo rem alienam præscribere potest, nisi toto tempore ad præscriptionem de jure requisito, prudenter et rationabiliter credat vel existimet, eam esse suam, aut saltem ab initio possessionis non dubitet, eam esse alienam, » per rationes et jura supra allegata.

10. *Per illam correctum fuit jus civile admittens malum fidem in præscriptione.* — Solum specialiter notandum, quod per regulam nostram, et concordantia jura allegata, correctæ sint leges civiles. I. un. C. de Usucap. transform. et § Diutina. 12. Instit. eod. vi quarum ad præscriptionem rerum mobilium triennium, et ad immobilium longum tempus sufficiebat, dummodo ab initio adhaerit bona fides. Et l. Si quis 8, § 1. C. de Præscript. triginta et quadraginta annorum, vi cujus ad præscriptionem longissimi temporis bona fides nec quidem ab initio requiritur. Correctæ sunt, inquam, hæ leges civiles. et pro correctis, ac non amplius attendendis tam a legistis, quam canonistis habentur, arg. c. fin. de Præscript. ibi: « tam canonica, quam civilis. Et merito, quia nutriebant peccatum, et alliciebant ad illud, cum homines sub spe vel desiderio acquirendi præscriptionem, rem, quam sciebant alienam, dimittere noluerint, sicque continuo in gravi peccato perrexerunt. Cujusmodi lex tanquam scandalosa, et animabus damnosa a jure canonico corrigi omnino potest et debet textu claro cit. c. fin. de Præscript. ibi: « Cum generaliter omni constitutioni sit derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari, » præsertim cum in materia con-

cernente salutem animarum, juris canonici dispositio in utroque, tam civili videbitur, quam canonico foro sit observanda juxta ea, quæ dicta sunt in præmio, lib. I, decret. § 12, n. 217 et seqq.

11. *Tempus immemoriale non excusat a mala fide.* — Nec juvat mala fide præscribentem longissimum vel immemoriale tempus; quamvis enim hujusmodi tempus ordinariæ præbeat præsumptionem juris, et de jure de bona fide, uti cum Glossa et aliis bene observat et docet Barbos. ad hanc regulam n. 6, tamen in casu, quo prudenter constat, malam fidem vel ab initio possessionis admisisse, vel intermedio ad præscriptionem requisito tempore intervenisse, prorsus nil prodest. c. Vigilanti. 5, de Præscript. ibi: « Quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem. » Et merito, quia eo gravius peccaminosa, et animabus periculosa est malæ fidei possessio, quo longiori tempore fuerit protracta. arg. c. fin. de consuet. ut proin mala fides potius in præscriptione longissimi, quam ordinarii temporis per sacros canones fuerit removenda, uti bene observat Dynus, in hanc reg. n. 6, et Barb. in cit. c. fin. n. 6.

12. *In foro externo bona fides præsumitur, donec probetur mala.* — Cæterum bene notandum, quod bona fides possidentis rem alienam in foro externo semper præsumatur, nisi probetur contrarium, uti bene advertit Glossa communiter recepta in c. Si diligenti. 17, de Præscript. § bona fides, l. Verus 21 ff. de Probat. juncta reg. 47, jur. in 6. « Præsumitur ignorantia (facti scilicet de injusta possessione rei alienæ, non juris) ubi scientia non probatur, » ac c. fin. de Præsumpt., vi cujus quivis præsumitur bonus, donec probetur malus.

13. *Quibus modis mala fides probari possit.* — Quomodo autem, seu quibus modis et mediis probari possit mala fides possidentis rem alienam, ex professo traditum habetur lib. II, tit. XXVI, a n. 84. Solum notandum, quod cum juxta dicta n. 11, in præscriptione immemoriali, vel longissimi præsumptio juris et de jure de bona fide stet pro possidente mala fides illius nominis illis modis probari possit, quibus aliquid probatur contra præsumptionem juris, et de jure juxta Gloss. communiter receptam in c. Is qui videm 30, de Sponsal. et bene in hanc reg. loc. cit. observat. Barb.

14. *Fallentia aliqua circa hanc regulam.* —

Quæritur II. Utrum detur exceptio seu fallentia circa hanc regulam. Resp. juxta aliquos inveniri aliquam cap. Placuit. 1, de Præscript. ubi episcopus locum a se ad fidem conversum triennio præscripsit contra alium episcopum, qui monitus locum convertere neglexit, licet episcopus præscribens ab initio, et intermedio tempore optime sciverit, locum non suæ, sed alterius esse diocesis, consequenter in mala fide constitutus fuisse videatur, quamvis alii hunc episcopum a mala fide, etiam ab initio possessionis immunem dicant, et ideo in hoc casu fallentiam esse negent, eo quod specialiter constitutum sit a jure favore fidei, ut in hujusmodi casibus talis præscriptio fieri queat, indeque etiam ita præscribens auctoritate canonis excusetur, uti bene advertit Gloss. in. can. placuit. 2, caus. 16, q. 1.

## REGULA III.

## SINE POSSESSIONE PRÆSCRIPTIO NON PROCEDIT.

1. *Unde hæc regula?* — Hæc regula concordat cum L. Sine possessione. 25, ff. de Usurpat. et Usucap. et juxta Barb. hic n. 1, ex eadem desumpta est, ibi: « Sine possessione usucapio contingere non potest. »

2. *Possessio quid?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis genuinus illius sensus sit? Ante responsum pro faciliari intelligentia hujus regulæ breviter recapitulare servit, quæ lib. II, tit. XII, de Causa possess. et propriet. § 1, jam dicta sunt, quid et quotplex sit possessio. Hæc siquidem juxta ibidem dicta, est rei corporalis detentio concurrente corporis, animi et juris adminiculo: dum nempe quis rem naturaliter non tantum detinet, sed eam detinendi etiam jus et animum habet. Quæ definitio tamen possessioni corporali et civili simul sumpta duntaxat competit.

3. *Alia est naturalis seu corporalis tantum.* — Sciendum namque, possessionem aliam esse naturalem seu corporalem tantum (quam alii etiam possessionem facti appellant) aliam civilem, seu juris tantum: aliam naturalem seu corporalem, et civilem seu juris simul. Possessio naturalis est ipsemet actus possidendi, seu actualis detentio rei, qua quis animo simul et corpore rem detinet, atque rei ipsi præsens existit, vel saltem res in ejus conspectu est.

4. *Alia civilis seu juris tantum.* — Possessio civilis, seu juris tantum, est quæ habetur juris adminiculo, et de jure solo animo continuatur: prout fit, quando possessor nec est in re, nec res in conspectu illius, uti contingit, si possessor a rebus suis sine animo eas deserendi ad tempus corpore discedit; in hujusmodi enim casu, etsi rem suam corporaliter non possideat, eam tamen civiliter, ac de jure possidet, cum animum et jus possessionem continuandi habeat l. Licet. 4. C. De Acquir. possess.

5. *Alia naturalis et civilis simul.* — Possessio naturalis seu corporalis, et civilis seu juris simul, est, quando utraque simul concurrat, ita ut quis rem aliquam non tantum corporaliter actu possideat, sed eam possidendi etiam jus et animum habeat: quæ possessio semper justa est; cum e contra possessio naturalis tantum etiam injusto invasori competere possit. Hinc juxta Gloss. hic: « Possessio naturalis tantum, plurimum facti, et parum vel nil juris dicitur habere: possessio civilis tantum plurimum juris, et parum facti habet. Possessio vero naturalis et juris simul plurimum facti et juris habet. »

6. *Alia civilissima.* — Præter præfatas affertur a doctoribus adhuc alia possessio, quam Civilissimam dicunt, estque illa, quæ acquiritur ex mera dispositione legis consuetudinis aut statuti absque alio actu corporis nostri. Arg. l. Raptores. 54. C. de Episcop. et Cleric.

7. *In rebus incorporalibus non datur vera, sed quasi possessio, quæ idem operatur, ac illa.* — Porro quamvis definitio possessionis, et dicta hætenus de ea potissimum intelligenda sint de possessione rerum corporalium, cum incorporalia proprie non possideantur. c. Cum Ecclesia. 3, de Caus. poss. tamen incorporalium et spiritualium datur « quasi possessio. » l. Ait prætor. 23, ff. Ex quibus causis major. et l. Si quis. 10, pr. ff. Si servit. vind. quæ « quasi possessio » idem in rebus incorporalibus et spiritualibus operatur, quod possessio vera in rebus corporalibus; cum etiam pro tuenda incorporalium possessione extent interdicta. l. 1, § 5, ff. Uti possidetis. ut proin sicut in corporalibus sine vera, sic in incorporalibus sine « quasi possessione » præscriptio non procedat. Quibus prænotatis.

8. *Ad inchoandam præscriptionem rerum corporalium requiritur possessio naturalis et civilis simul: ad continuandam sufficit sola ci-*

*vilis.* — Resp. I. Ad quæst. n. 2, positam : Regula 3, intelligenda est de possessione tam naturali quam civili, ac etiam quasi possessione taliter, quod ad inchoandam præscriptionem rerum corporalium requiratur possessio naturalis et civilis simul : ad continuandam vero eandem juste cœptam sufficiat sola civilis, non item sola naturalis : ad præscribenda vero incorporalia sufficiat et requiratur « quasi possessio. » Ita Glossa communiter recepta in hanc regulam § *Sine arg. l. Licet. 4. De acquir. possess.* ubi dicitur : « Licet possessio (et consequenter præscriptio) nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri valet. » Uti de secundo hujus conclusionis membro exemplum supra n. 4, adduximus in discedente a bonis suis ad tempus cum animo illa retinendi.

9. *Non item naturalis.* — Quod vero sola naturalis seu corporalis possessio nec ad continuandam præscriptionem sufficiat, patet ex dictis de præcedenti regula II, ubi clare probatum est, quod si intermedio ad præscriptionem requisito tempore notitia rei alienæ interveniat, consequenter bona fides desinat, et possessio civilis esse cesset, præscriptio non amplius currat.

10. *Ad præscriptionem rerum incorporalium requiritur et sufficit quasi possessio.* — Ad præscriptionem autem rerum incorporalium sufficere et requiri possessionem quasi talem patet ex Juribus n. 6, allegatis. Qua responsione præmissa.

11. *Verus sensus regulæ quis sit?* — Resp. II. Genuinus sensus regulæ est : « Sine possessione naturali et civili simul sumpta præscriptio rerum corporalium inchoari non potest : per eam tamen rite inchoata, sola civili possessione continuari et perfici potest tempore per jura præscripto. Ad præscriptionem vero rerum incorporalium requiritur et sufficit quasi possessio debito tempore continuata. » Patet responsio per jura hactenus allegata; cujus ratio universalis et principalis est; quia præscriptio principaliter fundatur et ædificatur super possessione, arg. l. *Usucapio, 3, ff. de Usucap.* ergo sicut non datur ædificium sine fundamento arg. c. *Veniens, 19, de Præscript.* juncta l. *Egi, 26, pr. ff. de Except. rei judicatæ.* ita, si ab initio non ponitur, vel intempestive aufertur, aut amittitur possessio, præscriptionem corrumpere necesse est. Hinc universaliter inferitur, quod qui rem aliquam possidere non

valet, præscribere nequeat, quia deest præscriptionis fundamentum, possessio nempe.

12. *Declaratur juris exemplis.* — Declaratur juris exemplis. Sic enim quia laici non possunt possidere loca religiosa et sacra, l. *Qui universas, 30, ff. De acquir. possess.* ibi : « Nam locum religiosum, aut sacrum non possumus possidere. » Neque jus eligendi in Ecclesia, arg. c. *Sacrosancta, 51, et c. Massana, 56, de Elect.* juncta Gloss. *ibid.* Nec Decimas, can. 1, cau. 16, q. 7, et c. *Causam 7, de præscript.* præfata jura et loca sacra præscribere non possunt; cum juxta regulam 3. « Sine possessione præscriptio non procedat. »

13. *Plura de possessione, remissive.* — Sic pariter quia jus resistit et impedit, ne quis acquirat possessionem rei ad usum publicum deputatæ, puta, fluminum, pontium, viarum, etc., præscribi non possunt, etsi populus eis uti desierit, arg. l. *Viam, ff. de Via publ.* Similiter, quia liber homo possideri nequit, arg. l. *Qui universas, 30, ff. De acquir. possess.* et l. *Cum hæredes, 23, eod.* etiam præscribi non valet. Hinc *Usucapionem, 9, ff. de Usucap.* dicitur : « Usucapionem recipiunt res corporales exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, et civitatum, item liberis hominibus. » Plura juris exempla adducit Barbosa in hanc reg. ex quibus clare patet, quod, ubi possessio deficit, præscriptio fieri non possit.

Cæterum quomodo probari possit possessio rerum : item quomodo acquiratur, et iterum amittatur, plene declaratum habetur lib. II, tit. XII, de *Causa possess. et propriet.* §§ 4, 5, 6 et 7.

#### REGULA IV.

##### PECCATUM NON DIMITTITUR, NISI RESTITUATUR ABLATUM.

1. *Hæc regula desumitur ex S. Augustino.* — Hæc regula desumitur ex Epist. 54. S. Augustini ad Macedonium, et refertur can. 1, caus. 14, q. 6, ibi : « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur : si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum : sed, ut dixi, si restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo : nec aliud habet unde restituat. »

2. *Intelligitur de solo peccato contra justitiam commisso.* — Quaritur itaque I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam non de quovis, sed de soli peccatis contra justitiam, injuste auferendo, retinendo, vel injuste damnificando commissis intelligi, quæ non dimittuntur, nisi injuste ablatum vel retentum restituatur, vel damnum injuste causatum resarciatur, vel si physica aut moralis impossibilitas intervenit, id, quamprimum fuerit possibile, præstandi seria habeatur voluntas. Ratio in textu citato allegatur : « quia, si reddi potest, et non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. » Quod item intellige de eo, cui quidem hic et nunc moraliter vel physice impossibile est restituere, vel damnum resarcire : voluntas tamen id faciendi deest, quando potuerit; quia præsens physica vel moralis impossibilitas juxta communem tam juristarum, quam theologorum sententiam non extinguit, sed tantum suspendit obligationem restituendi, quandiu impossibilitas durat. Cum res semper clamet ad dominum suum.

3. *Per verba : non dimittitur, intelligitur dimissio quoad culpam et pœnam æternam coram Deo.* — Per verbum autem, « non dimittitur, » intelligitur dimissio tam quoad culpam, quam ei annexam pœnam æternam (in materia gravi) coram tribunali divino ita, ut etsi quem de peccato injustitiæ pœniteat, illudque is confiteatur, et firmum propositum id non amplius perpetrandi habeat, tamen nec culpa, nec pœna eidem annexa remittatur, nisi restituat, vel ubi de facto non potest, sinceram voluntatem restituendi habeat. Quod idem de injuste damnificante intelligendum; quia verbo *restitutionis* venit omnis utilitas actoris l. *Cum prætor, 81, ff. de Verb. Signif.* et amplius patet ex lib. V, tit. XXXII, de *Injuriis et damno dato.*

4. *Pœnas civiles remittere possunt principes.* — Dicitur tamen notanter : « coram tribunali divino; » quia pœnæ pro peccato injustitiæ in foro debitam a supremo principe, vel legitimo magistratu pro justo arbitrio penitus remitti, vel moderari posse, indubitati juris est, arg. l. *Princeps, 31, ff. de Legibus, praxi et consuetudine, quæ optima legum interpretis est, ubique confirmatum.*

5. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Proprius sensus regulæ IV, sequens est : « Peccatum injuste auferendo, detinendo vel damnificando contra justitiam commissum

coram tribunali divino nec quoad culpam, nec quoad eidem etiam annexam pœnam æternam dimittitur, nisi, ubi possibile est, restituatur ablatum, vel resarciatur damnum injuste illatum; aut ubi impossibilitas physica vel moralis adest, sincera id præstandi voluntas adsit, vel alia justa causa excuset. » Sensus hic ex se perspicuus est, et ex jam dictis patet.

6. *Restitutio ab hæredibus facta non juvat defunctum, nisi eam mandaverit : nec omissio illius nocet eidem.* — Solum addendum, quod reatus culpæ et pœnæ non dimittatur, nisi ipsemet injuste auferens, vel damnificans, dum adhuc in vivis est, restitutionem, si potest, per se, vel alios faciat, aut ut de suis faciat, demandet; consequenter non sufficiat, nec illum a reatu culpæ vel pœnæ liberet, etiam si hæredes illius, ipso prius non mandante, vel decernente, aut committente eam præstent. Quamvis enim hi cognita injuste ablata in natura vel æquivalente, absque ulla testatoris commissione restituere, et damna injuste illata resarcire ipsimet teneantur; tamen si id absque mandato vel commissione testatoris ex se ipsis, uti tenentur, faciunt, per hoc defuncto nullatenus prosunt, nec pœnas purgatorii (ubi materia levis est) tollunt vel minuunt, multo minus a pœnis æternis, ad quas in materia gravi statim damnatus est, amplius liberant. Sicut e contra eidem nec in minimo nocent, nec liberationem e purgatorio retardant si defunctus in vivis adhuc existens restitutionem debitam rite demandavit, hæredes vero eam facere culpabiliter omittunt, uti post D. Thomam, quolib. 6, art. 13, cum aliis bene docet Navar. in *Manu.*, cap. XXVII, n. 68, § *Quæsitum.*

7. *Vulgare dictum : restituam ne anima in purgatorio pati debeat, ridendum.* — Ex quo bene inferit Strein, ad hanc regulam, n. 5, ridendum esse vulgare illud dictum hæredum : Debeo vel vol. istud aut illud a patre, matre, vel fratre, etc., injuste ablatum restituere, vel damnum injuste illatum resarcire, ne alias pati debeant in altera vita. Vel enim defunctus in vivis existens demandavit debitam restitutionem, vel non : si posterius, pœnas illius nec tollent, minuent, etiamsi restituant : si prius, non nocebunt ei, sed sibi solis, si restitutionem facere ex parte, vel ex toto culpabiliter negligant.

8. *Solvitur objectio contra hoc.* — Nec obstat huic doctrinæ c. *In litteris, 5, de Raptio-*